

IOH. WILH. DE GOEBEL

SERENISS. DVCI BRVNSV. LVNEBVRGICO A CONSILIIS
AVLICIS ET DICASTERII GVELPHICI ASSESSORIS IN ACAD. IVLIA
PANDECTARVM PROF. PVBL. ORDIN.

DE ARCHIOFFICIORVM S. R. I. ORIGINE ET ARCHITHESAVRARIO DISQVISITIO.





HANNOVERAE MDCCX. EDITA.

LIPSIAE
RECVSA IN OFFICINA LANGENHEMIANA
MDCCXXXV.



CAPVT I.

DE ARCHIOFFICIORVM ORIGINE.

BREVIARIVM.

§. I. Franci Aulica sua officia Constantinopolitanae debent Aulae.

§. II. Ista nec vno eodemque tempore, nec pari splendore et numero exorta videntur.

§. III. A Francis caeteri Germani ea didicisse creduntur.

§. IV. Officia ista, cum Principum potestate successiue noua autoritatis additamenta nanciscentia, ab Imperatoribus Principum aulis deinde confirmata putantur.

§. V. Determinari vix posse, quo tempore in Germania nostra summa ista (vt hodie audiunt) Officia Imperii facta sint haereditaria, et ad certum numerum definita.

§. VI. Secularibus Archiofficialibus quatuor vnde quintus additus sit.

§. I.



On tam a Romanae 1) quam Conſtantinopolitanae 2) Aulae moribus officia ſua Aulica petiiſſe Francos 3) veritati conſentaneum videtur. Nam prioribus temporibus Imperatorum Romanorum amicis raro peculiaria Domus Auguſtae attributa ſunt munia: Sed prout Principis fauor, aut ſingularis aliquando prudentia huic vel illi aderat, in partem curarum vocabantur.

1) Romanorum Reges modicis ſuis rebus Celerum centuriis, nobiliſſimorum ferociſſimorumque Iuuenum globum continentibus, a) qui ipſis in pace decus, in bello praeſidium, affatim conſulere putabant. Rem vero Romanam ex Senatorum conſiliis moderabantur. Imperio deinde L. Tarquinio Regi abrogato, Conſules aliosque Magiſtratus Officiales domus certis ſub titulis aluiſſe, nemo ſibi facile perſuaſum habebit. Cum autem cuncta demum, ciuilibus diſcordiis feſſa, ſub vnius venirent Imperium, Imperatores, mixto aut confuſo

a) Liuius l. 1. p. m. 18. Dionyſ Halicarnaſſ. l. 2. p. m. 65. ed. Reg. ἐκ τῶν ἐπιφανεςάτων οἴκων.

confuſo potius Regimini aſſuetos Reipublicae veteris ſpecie faſcinare, animum adiicientes, Principum Senatus, Conſulum et Tribunorum plebis ſumebant nomina, popularibus ſuis gratiſſima. Et ne domeſticorum turba, libertatem cum vnius Imperio ſtare negantibus metum incuteret, ac ſi antiquam Regiminis formam mutare et in Republica erigere Regnum conarentur, paucos aliquot ſecretorum participes, quorum opera in labefactandis Senatus-Conſultis et deſtruendis rationibus Maieſtati, licet curatiſſime ab initio diſſimulatae, contrariis, vterentur, ſibi ſufficere rati ſunt. Hunc in finem nobilem aliquam iis in Republica procurarunt ſpartam, vt eorum fide freti eo facilius placita ſua promouere poſſent. Succedentibus deinde temporibus Imperatorum Domus per plures regi, aut potius diſtrahi coeperunt libertos, quorum vnus prae alio ſeſe Principis fauori inſinuabat, prout mores ad ipſius nutum aut habebat, aut componebat; Facile enim erat per luxum et laſciuiam in gratiam Neronis aduolare: aut prout Auguſtarum, aut earum, quarum Caeſares vel animis vel corporibus inſueuerant, gratia florebant. Nam non ſolus Claudius mulierum Imperiis obnoxius fuit. Singularia tamen libertis iſtis non videntur impoſita fuiſſe munia. Nec ad officia admittebantur publica, b) licet ciues, muneribus Coactorum et Apparitorum exceptis. Inuenio nihilominus Narciſſum Quae-

b) Sigonius de antiquo iure ciuium Rom, l. 2. p. m. 124.

ſtoris inſignibus c); et Pallantem Antoniae, Claudii matris, libertum d), Claudio in paucis carum, vt relationis de poenis foeminarum, quae ſeruis coniungerentur, repertori, praetoriis inſignibus e) (praetexta et annulis, quibus Praetorii vtebantur) et magna pecuniae ſumma eſſe donatos. Caeterum Praefecto Praetorio, a ſolo Imperatore conſtituendo, f) ſummi Aulae officialis dignitatem non facile denegaueris. Non ſolum enim in Praetorianarum cohortium Rectorem, ſed et in Conſiliarium ſanctiorem et ſupremum Aulae iudicem aſſumtum fuiſſe, aliquibus videtur. Poſterius Taciti g) ſuadere exiſtimant loca: *Nero interficiendae Matris auidus, non prius differri potuit, quam Burrus eius NECEM PROMITTERET, ſi FACINORIS COARGVERETVR. Deinde a Burro, poſtquam crimina et autores expoſuit, minaciter actum. Burrus quamuis reus inter iudices ſenten-*

---

c) Tacitus Annal. XI. C. 38.

d) Ioſeph. Antiquit. Iudaic. l. 18. c. 8.

e) Tacitus Annal. XII. c. 33. p. m. 222. et Lipſius in notis p. m. 172. Plinius epiſt. 29. l. 7. et epiſt. 6. l. 8. vbi in monumentum Pallantis in via Tiburtina, intra primum Lapidem poſitum, inuehitur potiſſimum ſequentibus: *Omitto, quod Pallanti ſeruo Praetoria ornamenta offeruntur, quippe offeruntur ex ſeruis, mitto quod cenſent, non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad vſum aureorum annulorum. Erat enim contra Maieſtatem Senatus, ſi ferreis Praetorius vteretur.*

f) Tacitus Ann. XII. c. 4. XIV. c. 51.

g) Ann. XIII. c. 20. 21. p. m. 240. c. 23. p. 241. edit. Ryck.

sententiam dixit. Ad Romanorum deinde exemplum in Palatiis Francorum aliorumque Germanorum Palatinum olim et in ipsum Regem h) ius dixisse, putes.

2) Imperatoria sede, Roma Constantinopolim, maximo Imperii Romani malo, a Constantino Magno translata, Imperatores Asiaticorum Monarcharum mollitiem et fastigia magis adhuc affectare coeperunt. Et vt splendoris et potentiae suae apertiora exstarent indicia, Aulae Ministros diuersis sub titulis lateri suo adhaerere voluerunt. Dignitates istas Constantinopolitanae Aulae, praeter Codicis primum et tres vltimos libros, Guido Pancirollus in Commentario ad notitiam dignitatum vtriusque Imperii, Gutherius de Officiis Domus Augustae, Codinus de Officiis Ecclesiae et Aulae Constantinopolitanae, a Francisco Iunio *) primum e graeco translatus, Bulengerus de Imperio et Imperatore Romano referunt.

3) In multis gentibus esse video, quae non erubescamus imitari, et pleraque ad vsum, nitorem et voluptatem spectantia, ex aliorum exemplo solent assumi. Romani Hetruscis ritibus a) cultum aliquem moribus suis comparare nitebantur: Germanicarum autem Gentium Francos Principes aliquid

h) Aurea bulla c. 5. n. 3. Limnaeus iuris publ. t 1. l. 3. n. 39. Tolnerus in Historia Palatina c. IV. p. 113. vbi fere infinitum Autorum huc spectantium citat numerum,

*) Vossius in praefat. lib de arte Historica.

a) Liuius lib. 1. c. 8. p. m. 5. edit. Gronou.

aliquid ſplendori dediſſe, putamus. Illi enim in Gallia firmum ſibi ſtabilientes Regnum, cum Graeco-Romanis multa tum pacis tum belli habuerunt negotia. Imo et Conſtantii tempore Francorum b) multitudinem in Palatio floruiſſe, fertur. Crederem, Imperatores, ferociam eorum, Romanis rebus tam noxiam, efficacibus honorum delinimentis aliquo modo emollire, ſategiſſe. Et Iulianus, tum temporis Imperatoriarum copiarum ſummus Praefectus, non vna vice cum Francis manus conſeruit, eosque Attuarios c) in limine Germaniae ſecundae i. e. Colonienſis agri, ſuperauit. Perſuaſum igitur ſibi non pauci habent, Graecos et Francorum officiis aulicis occaſionem praebuiſſe; quicquid contra Conringius d) diſſerat, officia iſta nec a veteri nec a noua Roma deriuanda eſſe. Mallincrot, e) quem in multis alias Conringius ſecutus, multa ex Graecorum conſuetudinibus ad nos traducta largiens, hic nihil determinare audet. Certe circa hanc rem alii non equidem dubitant. Siquidem Germani, vitae ſimplicitate gaudentes, in hunc Aularum decorem parum incidiſſent, niſi a gentibus lau-

b) Ammianus Marcellinus l. XV. c. 5. edit. Gron. p. m. 78.
c) Ammianus Marc. l. XX. c. X. p. m. 277. qui Attuarii fuerint, vide apud Valeſium in notis ad hunc locum. Attuariorum Germanorum mentionem iniicit quoque Velleius Paterculus l. 2. c. 105. p. m. 339.
d) de Officialibus Imperii § 6. p. m. 593.
e) de Officiis ſecularium Electorum c. 3. p. m. 168.

lautiori vitae vacantibus, originem eius repetiiſſent.

§. II.

Officia iſta in Francorum Regiis nec vno eodemque tempore, nec ſimili, quo deinde apparuerunt ſplendore et numero 1) prodiiſſe, veriſimile eſt. Reges enim, creſcentibus indies magis magisque viribus, ex amplioribus quoque Miniſtrorum honoribus, famae ſuae aliquid addere, cogitarunt.

1) Mezeraeus a) in Clotario II. Officiales recenſet: Maiorem domus, in cuius locum ſub Pipino et Carolo Magno Comitem Palatii ſubiiſſe, putant; Magnum Referendarium, cui multi inferiores Referendarii et Cancellarii ſubordinati fuerunt; Magnum Apocriſiarium, qui omnem Clerum palatii ſub cura et diſpoſitione ſua regebat. Hunc ſub ſecunda demum Galliae Regum ſtirpe primo dictum Archi-Capellanum (vt vult Mezeraeus) aſſerere timeo. Nam Hincmarus b) Apocriſiarium et Palatii Cuſtodem iam tum ante Capellanum, qui in Capella palatina, vbi archiua regia aſſeruabantur, potiſſimum munus ſuum exercebat, eſſe dictum, adſtruit. Imo Dado, qui et Audoënus, Dagoberti Regis Referendarius, a

 Frede-

a) tom. 1. abbregé chronol. p. m. 115.
b) Opuſcul. 9. p. m. 207. edit. Paris.

Fredegario aliisque in variis tabulis Cancellarius, in charta autem Dagoberti Archi-Capellanus dicitur. Apocrisiarium prioribus quidem temporibus idem fuisse, qui Referendarium, ex Cangio c) innotescit: At postea Apocrisiarium supremam saltim rerum sacrarum in Aula curam habuisse, ferunt. Cubicularium (Camerarium) et Comitem stabuli antedictis addit: De Dapifero autem siue de Senescallo dubitat, vtrum ante Pipinum Nanum locum habuerit; Sed ante Pipinum exstitisse cum Mezeraeo in dubium vocare nequeo. Constat namque ex Marculfo d) aliisque sub prima iam tum Regum stirpe inter optimates, qui placitis ac iudiciis Regiis intererant, Senescallum esse relatum. Pincernae nullam Mezeraeus mentionem iniicit, fortassis quod opinatur, prioribus temporibus vnum tam cibis quam potui Regio praesedisse. Certum tamen est, Buticularii e) interdum nomine ipsum Regio potui praefectum notatum fuisse. Capitulare de villis C. 16. *Ministeriales nostri Senescalus et Buticularius.* Hugo, Pincerna Regis in charta Geruini Abbatis Centulensis,

c) apud Labeum in Misc. Histor. t. 2. p. 54. Cangii Gloss. t. 1. p. 785.

d) l. 1. form. 25. Mabillon t. 4. vitar. SS. ord. S. Benedicti p. 617. et 619. Cangii Glossar. p. 800. t. 3.

e) Buticularius a βόττιον cupella, cupa, Lindenbrogius in Gloss. p. m. 1366. Menage dans le dict. Ethymol. p. m. 123. Du Cange Gloss. med. et infim. graec. t. 1. p. m. 223.

tulenſis, Hariulfo Buticularius Regius dicitur. f) In diplomate Ludouici Bauari g) quo Geldriae Comitem ad Ducalem euehit honorem, Pincerna, Buticularius ſeu Pocillator vocatur. Et vt tanquam Pincernarum inferiorum caput, cui cum aliis maioribus Palatii Officialibus diplomata et literas Regias ſubſcribendi facultas competebat, innoteſceret, nonnunquam Pincernarum Magiſtri h) nomen ipſi tributum inuenies. Tölneri i) ſic et Cocceii k) aliorumque verba, ab antiquiſſimis Regum Franciae temporibus quatuor ſemper fuiſſe primaria officia aulica, profitentium, aliquo modo reſtringi debere, arbitreris. Prouocant quidem ad Caroli Craſſi conſtitutionem, quae in ſingulorum Principum Aulis, ad Regis exemplum, Officiarios Mareſcalcum, Dapiferum, Pincernam, Camerarium eſſe iubet. Verum enim vero iſtam Conſtitutionem l) non eſſe Carolo

f) Du Fresne l. c. t. 3. p. m. 280.

g) Leibnitius in Codice Iuris gentium diplomatico p. m 152.

h) Annales Franciae a Pithaeo editi ad annum 828.

i) In Hiſtoria Palatina c. 6. de Archiofficiis Imperii p. m. 163.

k) In Iuris publici prudentia c. 9. p. m. 217. nouiſſ. edit.

l) Conſtitutio iſta ſub nomine Caroli Craſſi primum a M. Velſero Rittershuſio communicata, a quo edita et a Frehero commentario illuſtrata eſt. Inter conſtitutiones a ſe collectas eam exſtare voluit Goldaſtus, et Boecleri notitiae Imperii adhaeret.

rolo Crasso, sed potius Conrado II. m) aut Carolo IV. adscribendam iam dudum Viri docti docuere. Etsi Crassi esset, ex ea tamen colligi non posset, quaternarium primariorum Officialium numerum in Francorum Palatio non interrupti et stricti semper fuisse vsus. Lehmannus, n) quem in asserti sui maiorem fidem citat Tölnerus, occasione solennium epularum, ab Ottone I. in Germanorum Regem electo, instructarum, Imperatores et Reges constituisse, vt Imperii Principes, ex Aulae Regiae moribus, in suis Truchsesium (Dapiferum) Marescalcum, Camerarium et Pincernam alerent, refert. Ex quibus liquide admodum patescit, Lehmannum plane non loqui de antiquioribus Francorum rebus, sed tempora post Pipinum breuem, vbi Francorum Regibus Augusti titulus additus est, respicere. Forsitan alicui opinio suboriretur, ad Saxonicorum Imperatorum tempora haec spectare, nisi alio loco o) ista officia sub Ministerialium et Capitaneorum ministerialium nominibus in Francia celebria fuisse, ex Hincmaro affirmaret. Hic Archi-Episcopus Rhemen-

m) Boeclerus in Notitia Imperii l. XV. c. 2. p. m. 243 et in rebus Sec. IX. et X. p. m. 186. Schilterus in Commentario ad ius feud. allemann. §. 10. p. m. 98. Eam vero Carolo Crasso constanter vindicauit cum Cangio Lehmannus in chron. Spiren. l. 2. c. 43. p. m. 352. Goldastus in statutis et rescriptis p. 28. et in constit. p. m. 207.

n) Chron. Spir. l. 5. c. 3. p. 340.

o) l. 2. c. XIII. p. m. 64.

Rhemensis p) Apocrisiario summos Officiales, Camerarium, Comitem Palatii, Senescallum, Buticularium, Comitem Stabuli, Mansionarium, Venatoresque principales quatuor, Falconarium vnum adiungit. Ex quo apparet, nec Carolingorum tempore Aulae Officialium numerum praecise ad quatuor fuisse restrictum. Nam hi omnes vni includuntur classi, ita vt nullam inter eos differentiam, nisi ordinis, facile credideris.

§. III.

A Francis deinde ad Saxones caeterosque Germanos digniora Aulae defluxisse ministeria, putatur. Non tamen inficias iuerim, in Gothorum 1) et Lombardorum 2) Aulis officiales quosdam eminentes durasse: sed quia Germanis cum Francis continua fere aut pacis aut belli intercesserunt negotia, rectius videtur ab eorum moribus Aularum Germanicarum cultiorem habitum arcessere. Officiales quosdam domesticos a longo tempore in Germania nostra inprimis in Monasteriis 3) fuisse receptos, notum est: Deinde autem, crescente paulatim Principum potestate, Officialium istorum dignitas quoque maiora indies

 sumsit

p) t. 2. opp. p. m. 207. edit. Sirm.

ſumſit incrementa, donec in Germanorum Principum Aulis magnae Autoritatis Seneſcalli, Pincernae, Mareſchalli et Camerarii audita ſint nomina.

1) Opinio fortaſſis quibusdam ſuboriretur, Caballarium a) Legatorum aliquem, ab Eraricho Gothorum Rege ad Iuſtinianum miſſorum, nomen officii non generis fuiſſe, ita vt idem fuerit Caballarius, qui Comes ſtabuli. Etenim Gothorum Reges, ad Conſtantinopolitanae Aulae methodum, Miniſtros aliquos excellentiores ſibi adeſſe haud dubie gauiſi ſint; inter cujus dignitates Palatinas Καβαλλάριος b) quoque recenſebatur. Sane me haud fugit Καβαλλάριον et denotare militari cingulo donatum (Chevalier) c) vnde factum, vt praedia ſeruitio militari obnoxia Caballaria d) dicta ſint: An autem Gothis ſolenne fuerit, creare Equites, creatosque inde appellare, ita vt Erarichus ſaltim Equitis titulo inſignis fuerit, aliis determinandum relinquam.

2) In rebus geſtis Longobardorum a) commemoratur,

a) Procopius Hiſt. Goth. l. 3. ap. Grot. p. m. 311.
b) Du Cange in gloſſario ad Scriptores med. et infim. graec. t. 1. p. m. 527. tamen, non liquere, addit, cuius fuerit munus. In quo ipſi Bulingerus de Imp. Rom. l. VIII. p. 652. ſuffragatur.
c) Du Cange l. c.
d) Du Cange gloſſ. med. et inf. latinit. tom. 1. p. m. 665.
a) Paulus Diaconus c. 9. ap. Grot. p. m. 781. Knichenius in notis ad Puteani Hiſtor. Inſubr. l. 2. p. m. 155.

ratur, quod Alboinus Longobardorum Rex, *Gilulfum, vt fertur, suum nepotem, virum per omnia idoneum, qui eidem Strator* (stabuli praefectus) *erat, quem lingua propria Marpahis appellant, Foroiulianae Ciuitati et totae regioni illius praeficere statuerit.*

3) Illustri Corbeiae nouae Ludouicus Pius anno 815. Marscallum haereditarium Dominum Ottonem de Vaelhusen a) constituit, cuius stirpe mortalibus exemta, dignitas haec in Dominos de Stockhausen translata est: Malsburgiis b) vero Pincernatum haereditarium eiusdem Monasterii contulit. Monachus sancti Galli, simplicem aliquem Monachum, arma cum confratribus suis in hostem sumentem, eorum exemplo, aduentantibus Vngris, fugam capessere noluisse, *quia corium ad calceos hoc anno ipsi Camerarius* c) *non dederat*, autor est. Officiales isti olim et Ministerialium nomine venire solebant. Sic in diplomate, d) quo Conradus III. Imperator Wiboldum Abbatem Corbeiensem, ob eximias virtutes et egregiam pietatem sibi prae reliquis carum, aduersus Mini-

a) Lezneri chron. Corbeiense p. m. 138. 142.
b) Leznerus l. c. p. 59. 123.
c) Ekkehardus de Casibus Monasterii S. Galli c. V. apud Goldastum Rer. Allemann. t. 1. p. m. 30.
d) Scatenii Annal. Paderb. part. 1. p. 784. Annales Corbeienses itidem memorant, Wicpolto multas molestias a Dapifero et Pincerna factas esse. apud Paulini t. 2. Rer. german. p. m. 395.

Miniſterialium inſolentiam tutatur, eorumque poteſtati terminos figit, Officiales, Dapifer, Pincerna et Camerarius Miniſteriales vocantur. Imo Epiſcoporum, Principum, Abbatum, Comitum Officiales, qui vna cum Dominis ſuis huic diplomati ſubſcribunt, Miniſteriales dicuntur. In fine chartae Arnoldus de Rotenburch Dapifer, Henricus Mareſcallus, Reingerus Pincerna, Thiepertus de Winſperg Camerarius recenſentur. Vtrum hi Imperatoris, aut Marquardi de Grunbach, cuius vltimo omnium mentio fit, Miniſteriales fuerint, ignoro. Nam in antedicto diplomate aliorum Imperatoris Miniſterialium, Conradi de Haga et Conradi de Walhuſen, mentio iniicitur. Niſi dicere velles, in fine diplomatis notatos hiſce ſucceſſiſſe; aut plures vnius generis Officiales vno tempore in Imperatorum Aulis duraſſe, et alternatis vicibus officio ſuo defunctos eſſe: aut vnius nominis diuerſis rebus fuiſſe praefectos. Enim vero vocat ibi Imperator Conradum de Walhuſen Camerarium ſuum a Theſauris. Ex hoc diplomate liquet quoque, Officia iſta Monaſteriorum, ſi ab initio certis familiis haereditarie collata ſint, deinde in haereditate eſſe deſiiſſe, imo nec ad vitam data videntur. Nam Rabano, qui tunc in Corbeia noua officium Dapiferi adminiſtrabat, vitio vertitur, *multa comminatione aſſeruiſſe, quod poteſtatem officii ſui, quam hactenus in illa domo exercuerat, nunquam, dum viueret, relicturus eſſet. Intra muros Corbeienſis Monaſterii, quandam ſimilitudinem dignitatis ſibi haere-*

haereditario iure vindicasse, quam praefecturam appellabat, et se Burckgrafium appellari faciebat. Potest tamen esse, Ministeriales istos haereditarios vicarios suos cum temporaria potestate in Monasteriis habuisse, qui ad quotidiana munia obeunda assumpti erant, ipsis in solennibus saltim festis officia sua exercentibus. Ministeriales Episcopi Paderbornensis Conradum Camerarium, Iohannem Dapiferum, Witheroldum Pincernam, Hermannum Marschallum, Tabulae Hardehusano Coenobio a Bernhardo Episcopo Paderbornensi e) consignatae, docent. Ministerialium quoque, vt officialium, Tabulae f) pacificationis inter Sifridum Coloniensem Archi-Episcopum, et Ottonem Episcopum Paderbornensem mentionem faciunt. Scimus, alias et omnes Episcoporum Principum et Monasteriorum vasallos g) in latiori significatu Ministeriales esse dictos.

§. IV.

Imperatores vero Saxonicae et Sueuicae stirpis Imperii Proceres ad modestiores potentiae terminos, absque totius Imperii conuulsione maximoque sui periculo, i) redigi non posse intelligentes, molliora animum induxerunt sequi consilia, adultamque Principum potesta-

e) Schat. Annal. t. 1. l. 9. p. m. 880. 881.
f) Schatenii Ann. t. 2. p. m. 160.
g) Meibomius in notis ad chron. comit. Schaumb. t. 1. Rer. Germ. p. m. 533. Goldastus rer. Allem. t. 1. p. m. 133.

teſtatem et ſplendorem potius omittere, inque ſuam vertere Maieſtatem, quam, aliquid in diminutionem eorum moliendo, totam in exitium dare rem Germanicam. Igitur iis non tantum ex Officialibus iſtis eminentioribus propullulans fulgor permiſſus, ſed et poſt imperiali ſanctione confirmatus eſt. 2) Oportet enim Germanorum Imperatores, faſtigio ſuo longe alios ſuperantes, et in Principibus ſuis Regibus praeſidere.

1) Non leues Germaniae concuſſiones ex Imperatorum in Principum poteſtatem machinationibus enatas eſſe, Germanica hiſtoria abunde teſtatur.

2) De ſupra citata Conradi II. aut Caroli IV. Conſtitutione, ſi genuina eſt, loquor.

§. V.

Non tamen, officia iſta ſumma Imperii, vt hodie veniunt, vel Ottonis Magni, vel Imperatorum ipſum proxime attingentium aetate, 1) haereditaria aut perpetua, aut ratione numeri determinata 2) fuiſſe, ſatis conſtat. Siquidem Imperatores, ea pro lubitu ſuo huic aut illi Optimatum, Germanico Imperio parentium, in honorum augmentum, 3) in ſolennibus Curiis contuliſſe, videntur. Poſtea vero vel expreſſe, vel tacite certis familiis, vt terris

earum

earum haereditarie adhaererent, ab Imperatoribus 4) in feudum collata sunt.

1) Widekindus Corbeiensis recenset, a) Ottonis I. Regiis epulis, inauguratione Aquisgrani peracta, *Lothariorum Ducem Giselbertum, ad cuius potestatem locus ille pertinebat, omnia procurasse* (Camerarius) *Euerhardum Franconiae Comitem mensae praefuisse* (Dapifer) *Hermannum Sueuiae Ducem Pincernis* (Pincerna) *Arnulphum Bauariae Ducem equestri Ordini et eligendis locandisque castris praefuisse* (Marscallus). Ottoni III. Quedlenburgi Paschatis festum celebranti *Henricum Bauariae Ducem ad Cameram Hezilium Palatinum ad cellarium ministrasse, Bernhardum Saxoniae Ducem equis praefuisse* b) *Lotharius Imperator Regem Daciae* (veteres quamplurimi male Daniam vocant Daciam, vide Grotii prolegomena Hist. Goth. etc. p. m. 6.) *in signum subiectionis, ad decorem Imperialis reuerentiae gladium sibi sub corona deferri fecit.* c) Veterum monumenta deinde de Officiis istis Imperatoriae Aulae, vsque ad Friderici Barbarossae tempora, videntur silere. De clarissimo enim Moguntiae Conuentu, sub eo instituto, dicitur, *Officium ibi*

a) Ann. l. 2. apud Meibom. t. 1. p. m. 643. vide et Paulum Windeck de Elect. Imp. c. 14. Gold. de Iuribus Regni Bohemiae c. 8. Mallincrot de offic. Elect. secul. p. m. 167. Schatenii Ann. Paderb. t. 1. p. m. 276.

b) Ditmarus Mersburgensis l. 4. p. m. 349. Leibn. edit. Schatenius in Annal. t. 1. p. m. 329.

c) Otto Frisingensis, l. 7. chronicorum c. 19. apud Vrstis. p. m. 149.

Dapiferi, ſeu Pincernae, ſeu Camerarii, ſeu Marſcalli non niſi Reges, vel Duces aut Marchiones adminiſtraſſe. d) Ex hiſce omnibus perſpectum habemus, notabilem officia iſta paſſa eſſe mutationem, nec certis ſtirpibus haereditarie, nec certis perſonis neceſſario, ad vitam tantum, ab initio adhaeſiſſe. Quando autem coeperint eſſe in Germania haereditaria, definire non audeo. Conringius e) id ſub Friderico I. factum ait. Mallincrot f) ad Fridericum II. videtur referre. Wagenſeil g) ante Ottonem III. facta eſſe haereditaria, diducere laborat. Alii Electoratibus coniuncta primum in haereditatem abiiſſe, defendunt. Sed quam incerta ſit Electorum origo h) et quot inutilibus ſaepe paginis ventilata, leuiter ſaltim rerum germanicarum peritis non ignotum erit. Nec omni dubio caret, cuncta Archiofficia ante Electoratus eſſe inſtituta. Nam ſi Archi-Cancellarios ſub ſummis Officialibus comprehendimus, in contrarium habemus exemplum. Siquidem Treuirenſem i) Archi-Epiſcopum, nec Friderici II. tempore per Regnum Arelatenſe, aut Burgundiam Archi-Cancellariatum obtinuiſſe, certum eſt. Ego a veritate minus abhorrere reor, officia iſta ſub Henrico

---

d) Arnoldus Lubecenſis l. 3. c. 9. Conring. l. c. p. 547.
e) De officialibus Imperii §. XV. p. m. 548.
f) l. c. p. 168.
g) De officialibus et ſubofficialibus Imperii p. 275. C. XIIX.
h) vide tamen illuſtris Leibnitii praefat. codicis iuris gent. diplomat.
i) Mallincrot. de Archi-Cancellariis Imperii p. m. 45.

rico VI. demum haereditaria facta esse. Ille enim k) *vt militiae successionis iure deuoluerentur ad proximiores cognationis gradus*, constituit. Et vt Palatinos i. e. magnos Aulae Officiales, quorum Electio formalis, stabilita successione haereditaria, quam appetebat l) cessasset, aliquo in compensationem dato, demulceret, credo Officia Imperii summa ipsis in haereditatem largitum esse Caesarem, vt eo paratiori animo proposito suo subscriberent.

2) Veterum monumenta excutientibus apparet, in Imperio nostro Germanico praeter Officiales istos seculares quatuor, et alios a) quaedam exercuisse Imperii munera. E. c. Comitis Palatii Romani et Vexilliferatus Castrucius Dux Luccae, Protouestiarii Dux Geldriae, Stratoris et Incisoris Dux Luxenburgi, Senescalli in Regno Austrasiae Dux Lotharingiae, Imperii Venatorum Duces Pomeraniae. De Comitum Oldenburgicorum Imperii aggerum praefectura (Reichs-Dick-Meister-Ambt) res adhuc in incerto est, quia Oldenburgensium tabularium in huius rei fidem nullum continet instrumentum. Antibellatoris siue Primopilariatus inter Rhenum et Vi-

k) Geruasius Tilberiensis in otiis Imperial. ap. Leibn. in Script. Brunsu. p. 943.

l) Chron. magnum Belgicum apud Pistorium p. 203. Consilium vero istud adeo contra vertit, vt potius in eius filio cessasse successionem, coepisse electionem dici possit. Leibnitius in praefat. mantissae cod. diplom.

a) Electa iuris publici p. 18. vbi diplomata ex illustris Leibnitii codice iuris gentium diplomatico citantur.

Viſurgim munus Comes Arenbergius, quod Godofredus vltimus Comes ex familia Arenbergica, prolis expers, praeſuli et Eccleſiae Colonienſi vendidit. Eſt autem Antibellatoris munus, *poteſtas dandi conductum et mandandi ne absque eius conſenſu in eo inter Rhenum et Viſurgim tractu arces aut munimenta quisquam moliatur.* b) Fortaſſis ab initio quaedam antedictorum Officiorum pari gradu cum quatuor iſtis prioribus fuerunt: Sed poſtquam ex Electoratibus Pincernae, Dapifero, Marſcallo et Camerario nouus additus eſt ſplendor, reliqua inferiori loco eſſe coeperunt, et deinde vſus eorum videtur inſigniter imminutus, ita vt hodie eorum vix habeatur ratio.

3) Seruile aliquid Archi-Officiis hiſce ineſſe, criminari Bodinum, praeter Mallincrot a) Arumaeus b) atque Cocceius c) aliique ſtatuunt. Vatinianum alias Germanorum hoſtem hac in parte excuſat Limnaeus, nihil in ſua editione libri Bodini de Republica, Francofurti apud Wechelii viduam typis impreſſa, Officiis Imperii detrahens, reperiri, docens. Nec mea editio d) Archi-Officialibus aliquid inuiſum continet: Niſi illud colligere velles ex iis, quod dicat, *Imperatorem ad ſuos Creatores et Principes Germanorum, quaſi ad ſeruos domeſticos orationem habere,*

b) Gelenius l. 1. Synt. 6. p. 251. Imhofii notitia Procerum l. 2. c. IV. p. 28.

a) l. c. p. 168.

b) Ad Aureae Bullae c. 27. p. m. 325.

c) c. IX. iuris publ. p. m. 210.

d) Vrſellis 1601. typis exſcripta l. 1. c. 9. p. 191.

habere, iisque imperare vt seruis. Nomine enim gallico prorsus indignus esset, gallicae praerogatiuae assertor impudentissimus, si in Imperii Officialibus Primariorum Franciae Principum, Regi coronando Ministeriales praebentium manus, honori noceret. *A magno enim Camerario Franciae Regi Caligae calceantur, et postmodum a Duce Burgundiae Calcaria eius pedibus adstringuntur* e) Ludouicus XIII diadema Galliae sumens, *leuioribus induitur ocreis e serico violaceis, auro temere sparso liliatis, ab Henrico Acullonio Lotharingo Principe per officium Ministro, Calcaria aptat Candaeus Princeps, Burgundo Duci suffectus. Ensem lateri accingit Cardinalis Iosua.* f)

4) Officiales Imperii, quos ad vulgarium ministerialium (Dienst-Leute) differentiam vocari Dienst-Herrn, volunt a) sua officia ab Episcopo Bambergensi, vt feuda eiusdem Ecclesiae, habere, merito negamus. Nam de aliquibus quidem bonis ditionum Electoralium, ab Officialibus Imperii sponte Bambergensi Ecclesiae oblatis, atque de Officiis Bambergensi sedi, fortassis ex Henrici II. voluntate, debitis, a Praesule Bambergensi inuestiuntur: non autem de summis Officiis Imperii, quae hodie terris Electoralibus annexa sunt, et vna cum iis ab Imperatore vt feudum recognoscuntur. b)

§. VI.

---

e) Borchellus l. 5. decretorum Eccles. Gall.
f) Gramondus Histor. Gall. lib. 1. p. m. 17.
a) Ex Besoldo Eyben. in electis iur. feud. p. m. 607. opp.
b) Limnaeus c. 7. lib. 3. iuris publici et addit. ad illum p. m. 356. et ad auream bullam p. m. 571.

§. VI.

Praeter tres Archipraesules Archi-Cancellariorum axiomate praefulgentes, in nostro Imperio quatuor Archi-Officiales olim celebrati sunt, Bohemus Pincerna, Palatinus Dapifer, Saxo Marscallus, Brandenburgicus Camerarius. Infelicibus vero Friderici Bohemiae Regis et Electoris Palatini fatis, factum, vt eius gnato 1) nouum Archithesaurarii officium adiici debuerit, veteri Bauaro cedente. Postquam vero Archidapiferatus dignitas ex postliminio quasi 2) ad Palatinam rediit domum, Electori Brunsuico-Luneburgensi Potentissimo suaeque lineae, Imperatoris Imperiique consensu, Archithesaurarii munus collatum est. De quo igitur Archiofficio sequenti capite, sub diuina vmbra, quaedam adhuc memorabimus.

1) Carolus Ludouicus Princeps optimus aegris quidem multorum animis et reseruationibus a) ex Imperatoris Imperiique consensu, vigore Artic. IV. Instr. pacis, octaui Electoris obtinuit locum, ipsique in Comitiis Ratisbonensibus 1653. Archithesaurarii officium additum est.

2) Ex §. 9. Art. IV. Instr. pac. id ipsum Serenissimus Elector Palatinus in notificatione sua ad Imperii Prin-

a) Pfanneri Historia pac. Westph. p. m. 486. Buckisch ad instr. pacis p. m. 52.

Principes de recepto Palatinatu ſuperiori hiſce: auch in Weſtphäliſchen Frieden-Schluß wohlgegründeten Zurückgang, a) innuit. Idem vice Cancellarius de Wieſer et Baro de Dimanſtein Palatini Legati in libello ſupplice *pro impetranda inueſtitura, auitae dignitatis Archidapiferatus, Vicariatus actus poſſeſſionis ac annexorum, vt et per bannum olim Electoris Bauariae iure poſtliminii reuertentium, atque Ducatuum, Principatuum, Comitatuum, nec non priuilegiorum Regalium et quorumcunque competentium* b) confirmant.

CAPVT II.
DE
ARCHITHESAVRARIO.

BREVIARIVM.

§. I. Penes Quaeſtores olim rei nummariae Romanae cura erat.

§. II. Sub Conſtantino Magno et Succeſſoribus Comes ſacrarum largitionum rei monetariae ſummam tenebat.

§. III. In Francorum Regno tractandorum redituum cura Reginae et Camerario commiſſa erat.

§. IV. Archi-Camerarii officium et adhuc hodie apud nos durat, cui per Architheſaurariatum nihil derogatum puto.

§. V. Architheſaurarii in Germania noſtra origo.

§. VI. Architheſaurarii in Coronationis ſolennibus officium.

a) Fabri Staats-Cantzley parte XIII. c. X. p. 438.
b) l. c. p. 437.

§. VII. *Quare Palatini Archithesaurarii tesseram scuto suo non indiderint.*

§. VIII. *De Imperii Vicethesaurario.*

§. I.

REges adhuc Romam habentes rem nummariam per duos Vrbanos 1) curarunt Quaestores: Postquam vero res Romana insigniter creuerit, ita vt integrae sub eius potestatem redigerentur prouinciae, nummorum publicorum cura per singulas prouincias singulis quoque iniuncta est Quaestoribus.

1) Quaestorum initia nonnulli Romulo et Numae Pompilio, alii Tullio Hostilio adscribunt. Hisce Plutarchus a) ad Valerium Publicolam b) Iunii Bruti Collegam originem eorum referens obnititur. Sed quis rem tam veterem pro certo affirmaret? Quaestores creduntur deinceps in triplici fuisse differentia. Alii enim Quaestores vrbano aerario praefecti erant, a quibus vt aerarii cura ad Praetorios Praetoresue iret, Augustus c) iussit, a Claudio d) vero Quaestori-

a) In Publicola p. m. 35. edit. Basil. Sigonius de antiquo iure ciu. Roman. c. 16. p. m. 67.

b) Rosin. Antiq. Rom. correct. a Demstero c. 22. et 45. l. 7. p. m. 712. et 746. Pancirolli comment. in Notit. Imp. c. 73. p. m. 113. Franckenstein dissert. de aerario populi Romani obseru. XIII. XIV. apud Graeu. p. m. 668. seqq.

c) Suetonius in Augusto c. 36. p. m. 177. edit. Graeu.

d) Suetonius in Claudio C. XXIV. p. m. 465.

ſtoribus reddita, Nero e) deinde a Quaeſtoribus ad aerarii Praefectos tranſtulit; Alii Quaeſtores parricidii, quibus rerum capitalium cura commiſſa erat: Alii demum, creſcentibus Reipublicae opibus, Quaeſtores prouinciales, Pro-Conſulibus ſiue Pro-Praetoribus, vt vectigalium publicorum et redituum populi Romani manubiarumque (id eſt pecuniae ex praeda redactae) belli tempore curam haberent, adiungendi, conſtituebantur. Quorum officium, volente Auguſto, poſtea Procuratoribus prouinciarum g) datum eſt. Quaeſtores ſiue Candidatos Principis ab hiſce omnibus diſtinctos fuiſſe, a veritate non videtur abhorrere. Per eos enim Orationes Principum in Senatu audiebantur. h) Hi Graecorum Imperatorum tempore Quaeſtores ſacri palatii i) dicti ſunt.

§. II.

Conſtantino Magno Imperii habenas moderante, Res pecuniaria Romana aliam

e) Tacitus Annal. 13. Pancirollus l. c. c. 73. p. m. 113. Torren. notae ad Suetonium apud Graeuium p. m. 466.

f) Pancirollus l. c. Grotius de I. B. et P. l. 3. c. 6. §. 16. p. m. 94. t. 3. edit. van der Muelen.

g) Dion. l. 13. Pancirollus in comment. ad notitiam vtriusque Imperii p. m. 114. Lehman in chronico Spirenſi l. 1. c. X. p. m. 23.

h) Tacitus Ann. 16. c. 27. p. m. 334. Suetonius in Auguſto c. 65. et in Nerone c. XV. p. m. 509 in Tito Veſpaſiano c. 6. p. 654. Procopius in Hiſtoria arcana c. XIV. Bulengerus de Imperio Rom. l. 3. p. m. 399.

i) Perez ad Cod. XII. tit. 6. p. m. 558.

induit faciem. Summa enim curandorum redituum publicorum Viro illustri Comiti sacrarum Largitionum 1) Purpuratorum interdum Principi permissa est. Qui deinde Officialibus aliis 2) per Vrbem et Prouincias sibi subordinatis, pecuniae in aerarium transferendae studia delegauit.

1) Comes sacrarum largitionum et remunerationum Thesaurorum Curatoris quoque aut Praefecti, Imperialiumque pecuniarum Quaestoris indita habens nomina a) Congiarium populo, militibus dona atque stipendia, Magistratibus ac Officialibus salaria, Comitibus Consistorii aliisque Kalend. Ianuar. strenam Principis; Senatoribus et Praetoribus Amicisque Imperatoris festo Paschatis, aut aliis diebus Imperialem elargiebatur munificentiam. Quamobrem omni pecuniae publicae, ex tributis et vectigalibus exigendae, operam nauabat.

2) Catalogum Officialium sub dispositione viri felicis Comitis sacrarum largitionum notitia Imperii vtriusque memoriae prodit. a) Praecipui eorum erant Comites Thesaurorum b) per omnes dioeceses, et Comites commerciorum per Orientem et Aegyptum, per Moesiam, Scythiam et Pontum. Vtrum et Imperatoris priuatam pecuniam Curanti, ad ipsius nutum

a) Pancirollus l. c. p. 114.
a) Pancirollus l. c. p. m. 117.
b) Du Fresne in Glossario t. 1. p. m. 1098. Spanheim ad Satyram Iuliani Apostatae in Caesares p. m. 98. edit. Par.

nutum officium ſuum obire incubuerit, determinare nequeo.

§. III.

In Francorum Regno penes Camerarium 1) Reginae ſub auſpiciis 2) aerarii cura erat. Huic Camerarii prouinciarum, 3) qui rem fiſcalem per prouincias tractabant, ſubiuncti fuerunt.

1) Ludouicum Imperatorem Bernhardum Barcinonis Comitem Camerarium in palatio ſuo conſtituiſſe, Annales Francici a) notant. Nithardus b) Caroli Magni ex filia Bertha Nepos eum, primum a Rege, et filii Caroli Calui Ephorum, Ducem Septimaniae i. e. Languedociae vocat. Hinc mihi opinio oritur, hunc Comitem a Garonna vſque ad Ebrum tractui impoſitum fuiſſe, quoad Francicae fuit ditionis. Et magis me in hac ſententia confirmat Paulus Aemilius, c) qui eum Gothicanorum Comitem appellat. Viſigothi enim olim per terras iſtas dominabantur, vſque dum ſub Clodouaeo I. (primo Francorum Rege in Gallia ex opinione Gabrielis Danielis. Act. erud. Lipſienſ. ann 1698. p. m. 154.) Gallicis Prouinciis exuti, latius per Hiſpaniam d) dominium ſuum extendere

a) ad annum 828.
b) de diſſenſu filiorum Ludouici Pii p. m. 86. in Coll. Kulpiſii.
c) In Ludouico Pio p. m. 130.
d) Iſidorus in chron. p. m. 725. Mariana de rebus Hiſpanicis l. 5. c. 2. Hiſpan. illuſtr. Buſſier Hiſt. Franc. l. 1. p. m. 36.

dere coeperint. Camerarii, qui et Praepositus Camerae Regalis interdum Thesaurarius dicebatur, munus Hincmarus e) describit.

2) Legi hic praeter Hincmarum Lehmannus a) meretur. Miraris forsitan Limnaeum b) supremam nummorum publicorum curam in Reginam collatam, inter alias eius praerogatiuas non recensuisse: Sed minime id in eo desiderari posse videtur, cum Gallici Regni statum, non ita procul ab aetatis nostrae memoria remotum, sibi potissimum describendum sumat, quo Reginam isto munere exutam fuisse, credibile est. Nam cum muliebris luxus in immensum prorumpere inciperet, ita vt parata in regni necessitates pecunia elegantiori mundo, splendidiori comitatui, opiparis epulis, aut aliis mollioris vitae irritamentis saepe impensa sit, et a Regia Coniuge male administratae prouinciae non ita rigorosa exigi potuerit ratio, pedetentim ea excidisse, mihi persuasum habeo.

3) Cangii Glossarium a) consulendum.

§. IV.

Archi-Camerarii spartae, cum aliis Imperii Archi-Officiis et adhuc hodie in Germania nostra vigenti, non equidem Archi-The-

---

e) l. 2. Opp. n. XXII p. m. 209. et 324.
a) in chron. Spirens. l. 2. c. XI. p. m. 63.
b) In notitia Regni Galliae c. XIX. p. m. 878.
a) t. I. p. m. 701.

Theſaurarii officio derogatum puto. Cum a longo iam tum tempore Germania noſtra aerarii publici 1) curam neglexerit. Inde Archi-Theſaurarii munus Coronae Imperialis geſtatio, et miſſilium ſparſio, 2) Coronationis ſolennibus peractis, conſtituunt.

1) Propterea, ne exterorum ludibrio ſeſe exponerent, Germani conſultius putarunt, clauem, conſuetum alias Archi-Theſaurarii τεκμήριον, omittere. Gallorum enim Theſaurarius in muneris ſui indicium ſcuto ſuo hinc auream, illinc argenteam clauem adiungere ſolet. Suecorum Archi-Theſaurarii inter Regni inſignia, in ſolennibus proceſſionibus, clauem praeferre ſolent. a) Hinc Bondii effigiei, apud Puffendorfium b) delineatae, additam vides clauem puluino impoſitam, vt Theſaurariatus, quo eminebat, ſignum.

2) Quae in ſequentibus expediam.

§. V.

Archi-Theſaurarii Officium hactenus in Germania noſtra inauditum. 1) Ab Imperatore Ferdinando III. conſentientibus Imperii Ordinibus, in gratiam Caroli Ludouici Electoris Palatini in Comitiis Ratisbonenſibus 2) (vt

a) Wagenſeil. l. c. c. 16. p. m. 253.
b) ad p. 603. vitae Caroli Guſtaui.

(vt dictum ſupra) inſtitutum, et ab Auguſtiſſimo Germanorum Romanorumque Imperatore Ioſepho I. ex Imperii ſuffragiis, Palatino ad priorem gradum reuerſo, in Sereniſſimum Ducem Brunſuico-Luneburgenſem Georgium Ludouicum 3) S. R. I. Electorem translatum eſt.

1) Septem Theſaurarium, nomine totius Imperii pecuniae ab omnibus Imperii ſubditis, ad reprimendum Turcam, colligendae, praeponendorum, ſub Maximiliano I. mentio fit. a)

2) Comitia iſta, vt ea, quae adhuc ex Inſtrumento pacis et executionis Receſſu Noribergenſi componenda, expedirentur 1653. 1654. inſtituta a) ſunt. Ex hiſce igitur, ne Electoratus absque Archiofficio eſſet, Architheſaurarii dignitas prodire coepit. In expedito non eſt determinare, vtrum Palatini ſacrarum largitionum, quorum in Codice b) mentio iniicitur, huic nouo muneri occaſionem praebuerint.

3) Piae memoriae Leopoldus Magnus Auguſtae Brunſuico-Luneburgicae Domus merita domi foriſque clariſſima, Imperatorio aliquo fauore remuneraturus, beatae quoque memoriae Erneſtum Auguſtum, Poten-

---

a) Reichs-Abschied von dem gemeinen Pfennig zu Wormbs. n. X. p. m. 52. nouiſſ. edit. Rec. Imp.

a) Wicquefort diſcours Hiſtorique de l'election de l'Empereur p. m. 223. Tolnerus in Hiſtoria Palatina c. 6. p. m. 172.

b) lib. XII. tit. XXIV.

Potentiſſimum quondam Brunſuico-Luneburgenſium Ducem, Electorum Collegio adnumerari voluit.

Tandem Georgius Ludouicus, Princeps pace belloque inclytus, omnibusque elogiis maior quinto Septembris anno 1709. Imperatore Imperioque ſuffragantibus, Electorali Collegio introductus, et ex Receſſu inter Leopoldum Caeſarem et Erneſtum Auguſtum Electorem erecto 1710. Aprilis 12. Archi-Theſaurarii Officium conſecutus eſt.

§. VI.

Archi-Theſaurarium in Imperatoris aut Regis Romani Coronationibus Imperiale diadema ſuſtentare 1) et miſſilia in populum ſpargere 2) decet. Imperatori aut Regi Romano ſolenniter epulantibus, ad morem Archi-Pincernae 3) in Coronationis ſacris, nullum praeſtat officium. 4)

1) Ludouicus Bauarus Imperator Reinoldum Geldriae Comitem, ex Regibus ducentem genus, Ducem et Protoueſtiarium creauit, atque ipſi eiusque haeredibus, *Regibus Romanis coronam ſuper caput imponendi, deponendi, portandi et in manibus geſtandi*, *ius conceſſit*. a) Hinc absque limitatione Wagenſeilii: b) *Maiores noſtros Coronae geſtandae nullum conſtituiſſe Officialem*, a veritate aliena ſunt. Concedo tamen temporibus

a) Diploma videatur apud Leibnitium in Codice I. G. Diplom. p. m. 151.

b) l. c. p. 255.

ribus ante Ludouicum Bauarum, Imperatores, vt placuit, alicui ex Germaniae Proceribus, occasione lata, id muneris indulsisse c) Maximiliano I. in Regem Germanorum inaugurato, Imperatoriam Coronam Liber Baro de Limburg d) S. R. I. Vice-Pincerna haereditarius sustinuit, qui et hoc munere in Coronatione Ferdinandi III. functus est. In Leopoldi vero et Iosephi inaugurationum sacris ista prouincia Palatinus functus est Elector. In Iosephina coronatione Libero Baroni de Sinzendorf Sub-Thesaurario Palatinus deinde Coronam porrigebat. Coronam istam clausam, qua Caesar redimitur, aliqui Caroli Magni suspicantur, e) alii Conradi II. f) reliqui Conradi I. quorum et ego opinioni accedo. Conradum I. *coronam propriam gemmis pretiosissimis non solum ornatam, sed grauatam sumsisse*, Luitprandus affirmat. g) Conradi quoque nomen semicirculo, superne innexo h) insculptum est.

2) Romanorum Graecorumque iam tum temporibus solennem missilium iactum vsu receptum fuisse, scimus. Imperatores deinde nostri si non prius, tamen a

c) Thulemarius de Octouiratu c. XVIII. p. m. 231.
d) Actus Coronationis Maximiliani I. apud Goldast. in polit. Imper. Actus Coronat. Ioseph. p. m. 104. nouae edit. Des Heil. Römischen R. Grundfest adhaerens, conferatur.
e) Schwederus part. spec. sect. 1. c. 2. p. m. 190.
f) Tolnerus, cum Wagenseilio, in Historia Palatina p. m. 172.
g) lib. 1. p. m. 31.
h) Schwederus p. m. 190.

a temporibus Rudolphi I. a) diadema ſumentes, largitionibus Imperatoriis in confertam circumſtantium turbam abiectis, hunc morem imitati ſunt. Certus tamen Officialis pecuniae proiiciendae ab initio non erat conſtitutus. Carolo V. Bononiae a Clemente VII. in Lombardorum et Romanorum Regem peruncto, Armorum Rex Haraldus paludatus aureis argenteisque nummis impletas Bulgas in vulgus euacuabat. Numiſmatis dextro lateri imperatoria effigies, cum inſcriptione, Carolus V. Imperator Auguſtus; ſiniſtro vero eiusdem Sphrageticum ſignum, duae ſcil. columnae, in quorum medio annorum Chriſti numerus, arithmeticis apicibus expreſſus, circumſcripto: *plus vltra*, inciſum erat. b) Maximiliani II. Coronationis ſolennibus finitis, tres Regii corporis Cuſtodes, equis vecti (Hatſchierer) Regiae liberalitatis et memoriae aurea argenteaque ſparſerunt teſtimonia, c) quorum vnius lateri Regia imago, circumſcriptis: *Maximilianus Dei gratia Rex Bohemiae*; alteri: *Coronatus eſt in Regem Romanum 1562.*, impreſſa erant. Matthiae Coronatione perfecta, vnum ſolum nummos iactaſſe, quem acta Corona-

a) de Rudolphi I. coronatione anno 1273. Aquisgrani facta, vide Lampadii Politiſche Reichs-Händel p. m. 32.

b) Agrippa de coronatione Caroli V. apud Gold. in polit. Imper. p. m. 339.

c) Goldaſtus in Politiſchen Reichs-Händeln p. m. 73. in politicis Imperialibus p. 73. Heidenus in latina traductione actus coronationis apud Goldaſt. polit. Imperial. part. 1. p. 150.

ronationis Regium ministrum simpliciter vocant, Thuani autem Continuator caduceatorem, asserunt. d) Goldastus e) Satellitum, equis insidentium (etliche Archibusier Reuter) quendam, Matthia Caesare constituto, aureae et argenteae monetae duplex disseminasse genus, tradit. Maioris vni lateri: *Matthias D. G. H. B. Rex Coronatus in Regem Romanum 24. Iunii 1611.* alterius medio Corona et solis et lunae radiis illustris, hoc lemmate: *Lumine maior concordi*, inscripta erant. Minor omnia antedicta, praeter Caesaris imaginem, continebat. Ferdinandi III. capiti insigni imperiali imposito, duo Regii Nummularii spargendae monetae officio functi sunt. f) Archithesaurarius hodie munus suum exercens, equo elatus, ex marsupiis, ab Imperatore determinatam summam continentibus, ipsique a pedissequis subministratis, nummos depromere et in vulgus prosternere solet. g) In Coronatione Augustissimi nostri Iosephi Palatinus Elector ex Curia manus nummis aureis argenteisque refertas, vno latere Imperatorium Symbolum: *amore et timore*, ensem lauro fasciatum circumcingens; altero coronam Imperatoriam, adscriptis: *Iosephus Rex Hung. Coronatus in Regem Romanorum Augustae d. 26. Ianuar. 1690.* referentibus, in densissimum populi globum exo-

d) Wagenseil. de Officialibus et Subofficialibus Imperii p. m. 256.

e) in Politischen Reichs-Händeln p. 103.

f) Carpzouius ad legem regiam c. 11. sect. X.

g) Wagenseil. l. c. p. m. 259.

exonerauit. Reliquam monetam Comes de Sinzendorf, iumento eminens, in publicum disperſit. h) Morem, quo Archi-Theſaurarius ipſe equum in ſpiſſam agebat multitudinem, vt in ipſam imperatoriam proiiceret liberalitatem, triſti Caroli Ludouici, prima vice in Coronatione Ferdinandi IV. Archi-Theſaurarii munus exercentis, caſu, exoluiſſe videtur. Illum enim Aſturcon ferox, frementi hominum concioni parum aſſuetus, terrae afflixit. Quocirca ipſe Carolus Ludouicus Leopoldi coronationi praeſens, paucos emenſus paſſus, ſparſionis initio facto, retrogreſſus eſt.

3) Bohemum nullum Imperii Clinodion in coronatione Imperatoris praeferre, rerum germanicarum non penitus expertibus notum eſt. Actus enim coronationis, quorum aliquos Goldaſtus a) colligit, illud manifeſte indicant.

4) Non puto neceſſum, vt vnusquisque Archiofficialium Imperatoriae officium aliquod praeſtet menſae, vt Limnaeus, ſeſe excrucians, quale miniſterium ad Regias epulas Palatino conferendum, opinari videtur. a) Nam et ipſe Archi-Mareſcallus epulanti, aut ad epulas ſe praeparanti Imperatori nullum exhibet officium; niſi quod olim Bauaro tauri aſſati portionem Imperatoriis dapibus adponenti,

h) Actus coronationis et electionis Ioſephi I. nouiſſ. edit. Der Grundfeſte des Heil. Römiſchen Reichs adiunctus p. m. 109.

a) in Politiſchen Reichs-Händeln.

a) Obſeruat. ad c. 27. §. 4. Aureae bullae p. m. 588.

nenti, ex consuetudine potius, quam necessitate anteiuerit. b)

§. VII.

Palatini scuto suo vacuam ab Imperiali pomo parmulam noua, Archi - Thesaurarii munus designante, tessera implere noluerunt. Fortassis, quod praesagiens ipsis fixa fuerit spes, fore vt aliquando ablatum ipsis restitueretur pomum.

1) Becmanni a) exinde assertio, Coronam Palatini scuto additam docentis, reiicitur, cui errori autor quoque der ietzt regierenden Welt grosser Schaubühne subscribit. Praeter experientiam veriorem opinionem Thulemarius b) et Spenerus c) adstruunt. Non dubito tamen, quin Electorale Brunsuicensium Scutum Corona Imperialis in posterum ornatura sit.

§. VIII.

Ad nouum istud Palatini Archiofficium Germaniae Clarissimarum stirpium non paucae erant laetissimae, ex instituendo Vice-Thesau-

b) Limn. Iur. publ. lib. 2. c. 5. n. 10.
a) in Notitia dignitatum illustrium dissertat. IIX. c. 2. §. 7. p. m. 230.
b) De Octouiratu C. XIIX. p. m. 232.
c) Operis Heraldic. part. special. l. 3. c. 27. p. m. 671.

Thesaurarii munere nouum dignitatis augmentum sibi pollicitae. Sed sors ista Sinzendorfiis, inter Germaniae Proceres natalibus et virtutibus admodum notis, contigit.

1) In Comitiis Ratisbonensibus, 1653. celebratis, Imperatoris et Ordinum consensu Georgium Ludouicum Camerae Imperialis Aulicae Praesidem, et Ioachimum Consiliarium Imperatoris Aulicum Sinzendorfios Sub-Thesaurarii munus accepisse, memoriae proditum est a Lampadio, a) Sinzendorfios hos, cognatione aliqua coniunctos, pro fratribus habuisse, et honorum gradus, Sinzendorfiis post demum collatos, ipsis tribuisse, vt humanae imbecillitatis effectus condonari potest. Vtrum vero, ad Wagenseilii exemplum, ipsi vitio verti possit, circa Sub-Thesaurarii officium Imperatori et Imperio aliquas adscripsisse partes, non aeque liquet. Nam Imperii Subofficiales eligendos, ab officialibus domesticis non haereditariis distinctos, a solo Archiofficialis arbitrio pendere, non pauci in dubium vocant, creandi Subofficiales Imperii ius, reseruatis Imperatoriis annumerantes. Non tamen reluctari volo, Sinzendorfios Electori Palatino, vt gratia Imperatoris, et summorum eius Ministrorum amore valentes, prae aliis fuisse acceptos. Nec credo Serenissimum Georgium Ludouicum eiusque Posteros circa Subofficialis mutationem sollicitum fore, quamdiu Sinzendorfianorum aliquis, Maiorum vestigiis inhaerens, superstes erit.

a) in Politischen Reichs-Händeln. p. 26.

)o(


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE